

Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Misscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miſcellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO VII.

De

VIRTUTIBUS HOMILETICIS,

Id eſt,

Converſationem regentibus.

Practico-Philoſophica.

Pro diſputationis exercitio ad ſententiarum collationem propoſita

In Gymnaſio Gedanenſi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

MARTINO NEVVENFELDIO,

Dantiſcano Boruſſo.

Ad diem 24. Martij. S. N.

In Acroaterio Philoſophico,

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exſcripta, ANNO 1638.

Miſcellaneorum Decadis III. Exercitatio VII.

De Virtutibus homileticis.

I.

C*Arbone quodam apud* Romanos *populo aliquid pollicente, & jusjurandum cum execratione addente, juravit vicuſim populus, ſe fidem illi non adhibere. Erat enim homo mendax, & ad fallendum projectæ impudentiæ.* Eraſm. l. 6. apoph. §. 57. *Probus & veracibus fides etiam injuratis adhibetur: Improbi vix jurantes fidem inveniunt.* T. Pomponius Atticus *eques Romanus, & Tullio in paucis carus, mendacium nec dicebat ipſe, nec pati poterat. Eoq́ fiebat, ut omnia amicorum equitumq́ negotia procuranda ipſi committerentur, conſiliumq́ ab eo de Repub. deq́ rebus magni momenti certatim expeteretur, narrante* Cor. Nepote *in vitâ ejus. Sed ut hodiè ſunt tempora, ſeculum inverſo procedit ordine. Mentiri, fallere, ſermonis eſt genus, non criminis, ut quondam de Francenibus* Salvianus l. 4. d. gub. Dei *perſcripſit. Comici illud ex* mil. a. 2. ſ. 2. *verè hic locum habeat:* Os habent, (*homines*) linguam, perfidiam, malitiam, atq́ue audaciam: confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam. Qui arguat ſe, eum contrà vincant jurejurando ſuo. *Domi habent animum falſiloquum, falſificum, falſijurium: Domi dolos, domi dolenifica facta, domi fallacias. Domi habent hortum & condimenta ad o-*

mnes mores maleficos. Vt foecundam hanc vitiorum loliginem animo evellamus, habitu morali opus est, ad sinceritatem & veritatem in verbis gestibusq́ observandam mentem componente. Præstat hoc potissima inter homileticas virtutes, Veracitas, *animum ad sincerè agendum loquendumq́ componens. Ejus jam ordine consequente* cum coeteris virtutib. homileticis *natura per theses* cum DEO *lustranda veniet.*

2. *Virtus moralis directa cupiditatem opum & honorum componens* dis. 6. *visa est: Videnda est ea, quæ* conversationem *componit. In conversatione* vel *regenda est familiaritas,* vel *actio aliqua.* Familiaritas *regitur virtutib. homileticis, quæ sunt virtutes morales directæ, probos nos rectosq́ in conversatione cũ alio facientes. Dictæ ab* ὁμιλία, *quæ Latinis conversationem familiarem notat. In familiaritate* aut *requiritur jucunditas, ut jucundè cum alio conversemur, & hoc vel seriò, unde comitas, affabilitas, seu humanitas exsurgit:* vel *jocosè, unde urbanitas:* Aut *veritas, ut sincerè & sine fuco cum alio versemur, unde veracitas promanat:* Aut *placiditas & consensus, ut pacificè & quietè conversemur, unde Concordia oritur. De his hac exercitatione præcipiendum.*

3. Comitas *spectanda est quà nomen & rem. Quà nomen* 1. Homonymice. *Sumitur* interdum *potentialiter, pro naturali inclinatione & promptitudine humaniter conversandi, quomodo quasdam nationes humanas & comes dicimus, quasdam barbaras & agrestes:* Interdum *actualiter pro ipso actu humaniter in sermone gestuq́ se gerendi: hoc per metonymiam effecti pro causâ fit, ut actus habitus sumatur pro ipso habitu:* Interdum *habitualiter pro habitu morali comparato, decenter in sermone & gestu serio communicando se gerere faciente. Ita hic sumitur.* 2. Etymologicè, *ubi Grammaticè ab comi dicitur, quòd faciat comiter ac amicè alios alloqui*

loqui, salutare, ac suaviter illis convivere. Synonymicè, *quà dicitur &* humanitas, *quòd hominis sit propria; præcipua officia in familiaritate complectatur: & amicam homini ac humanam naturam, excussâ agresti ferocitate, conciliet:* Affabilitas, *quòd sermone, gestu, officio, comem benevolentiam erga alium ostendat:* Facilitas, *quòd facilem se omnibus exhibere faciat:* Civilitas, *quòd corporis habitum gestumq́; elegantem civili dignam conciliet:* Popularitas, *quà in publicis personis & superioribus reperitur, qui se erga inferiores comes exhibent:* familiaritas, *quòd in familiari conversatione familiariter in sermone gestuq́; procedere doceat. Græci speciale nomen non habent, quo eam efferant, ut* Arist. 4. Nicom. c. 12. *monet. Interdum vocant* φιλίαν, *quòd æmula amicitiæ sit, & in conversando facilitatem præstet, ac sæpè amicitiam conciliet. Differt tamen etiam ab illâ, quòd hæc amorem & notitiam requirat: affabilitas etiam ignoto & non amato honestatis gratiâ exhiberi queat: illa paucos requirat, hæc multis præstari possit. Interdum* ἐυπροσηγορίαν *&* φιλοπροσηγορίαν *vocant, quòd libenter salutare, & appellare aliquem faciat.* Προσηγορεῖν *enim &* προσηγορεύειν *salutare & appellare est. Germanis* freundligkeit/ Holdselligkeit/ Leutselligkeit/ Anmutigkeit/ 2c.

4. Quà rem *absolutè & respectivè.* Absolutè *in definitione, officiis, subjecto, & divisionibus.*

5. Definitio *sit:* Comitas est virtus moralis directa, medium prudentiæ in conversatione seriâ, quà sermones & gestum ad honestè oblectandum & modestè reprehendendum servare faciens.

6. *Genus est* virtus moralis directa, *hoc ex* d. 3. t. 17. *patet.* Differentia *ab objecto & officio s. modo versandi sumitur. Ex* objecto *dicitur, quòd medium in seriâ conversatione quà sermonem & gestum servet: per quod partim ab urbani-*

nitate, quæ jucunditatem in conversatione jocosâ, non seriâ, servat: partim â veracitate, quæ sinceritatem in seriâ conversatione præcisè attendit, non jucunditatem: partim â concordiâ, quæ quietem in conversatione attendit, non præcisè jucunditatem, distinguitur. Objectum *comitatis est* vel *internum, tùm affectus irascibilis, quem comitas moderari debet, ne in sermone aut gestu sit insvavis: tùm voluptas & tristitia, quæ in usu sermonis & gestus in conversatione seriâ reperitur:* Vel *externum, sermo & gestus in congressu serio ad jucunditatem componendus. Facit enim comitas, ut dicta & facta nostra sale humanitatis condiamus.* Dicta, *quia sermo character animi est, & ex sermone hominis indolem æstimare solemus. Vnde Socrates puero, ut te videam, aliquid eloquere, dixit.* Gestus, *quia mores gestus sequitur, eosq́; prodit: & ad sermonem componitur, velut chorea ad instrumenti Musici sonum. Et ut nummi bonitas ex sono & colore æstimatur: sic interna animi humani qualitas ex sermone & gestu.*

7. *Ex* officio *dicitur, quòd comitas medium prudentiæ servet in sermone & gestu* ad honestè oblectandum & modestè reprehendendum. *Hæc verba ab officio & modo versandi comitatis sunt sumpta. Vt mediocritas prudentiæ in sermone & gestu suaviter formando servetur, observanda quædam ad sermonem, quædam ad gestum, quædam ad ipsius comitatis rationem pertinentia.* Quà sermonem, *ut ille suavis sit, debet esse competens ratione temporis, modi, & objecti s. materiæ.* Ratione temporis, *sermo sit tempestivus. i.e. tempori aptus & conveniens, ut nec in conversatione instar statuæ mutæ sedeamus, quod odij, superbiæ, stultitiæ, aut pertinaciæ suspicionem infert: nec nimiò loquaces simus, ut vel soli sermonem obtineamus, vel aliorum sermones temerè interpellemus. Hoc n. odiosum est, & contentioni ac confusioni facilem*

cilem occasionẽ præbere potest: ac vocari hinc solet aliquis canis importunè latrans. Ratione modi *proferendi sermo sit* consideratus, *ne priùs procedat ex ore, quàm sit formatus in mente: ne lingua mentem præcurrat, & sint* ἔπεα πτερόεντα, *ut Homerus vocat, i. e. verba alata: Periculosum n. est, ante meditationem loqui, & contemptum talis præcipitantia infert: Hinc Seneca: Quidquid dicturus es, antequam aliis dixeris, tibi dicito. Nam ad pœnitendum properat, qui citò dicit vel judicat. Et dictum indictum fieri nequit; non dictum facilè dici:* Clarus & apertus, *ne vox vel deprimatur, ac si catharro præfocati essemus, vel verba nimis festinè præcipitentur; aut nimis clamosa sint; aut vitiosâ cantillatione prolata, aut alio pronuntiationis vitio affecta, ut labdacismo, jotacismo, psellismo, traulismo, platiasmo, gargarismo, battologiâ, &c.* V. Alsted. Eth. 3. c. 23. n. 11. *Hæc n. omnia sermonem reddunt insuavem:* Modestus, non affectatus, *ne sermo vernaculus deseratur, exoticus ostentationis gratiâ assumatur. Sic si Germanus Belgicè, Bavarus Westphalicè loqui affectet. Hoc risum citare & contemptum inferre solet; Et cogitandum hic illud:* Syrus cum non sis, ne Syrissa: Sit gravis, *& pro temporis occasione sententiosus, ne plus tinniamus, quàm loquamur, & mare verborum sit in sermone, gutta rerum: sed plus sit sententiæ in loquendo, quàm strepitus in sonando. Ratione objecti & materiæ sermo sit* de re cognitâ, *nam de incognitis nemo peritè judicium fert: si ferat, ingratus erit, ut Alexander M. de picturâ in ædibus Apellis, & Ptolomæus Rex de Musicâ judicans:* Conveniente, *utili, necessariâ, & verâ. De malis & inutilib. non dicendum.* V. Prov. 18. v. 21. Jacob. 3. v. 5. 7. *nisi aut propria conscientia, aut peculiaris vocatio exigat.*

8. Quà gestum, *ut ille sit gratus, sit sermoni attemperatus, moderatè gravis, ut velut tacendo loquatur: nec in de-*

fectu peccet, ut homo statuæ instar sit immobilis: nec in excessu, ut simiæ instar instabilis. Gestuum carentia fastum & rusticitatem prodit: nimia frequentia inconstantiam & animi levitatem. Gestus a. talis sit, qualis videri cupis. Et tales simus intùs, quales apparemus exteriùs. Estq; porrò gestus vel *totius corporis,* vel *singulorum membrorum, ut capitis, oculorum, nasi, manuum, pedum, &c. Et respicit* vel *situm corporis in stando, sedendo, vel eundo:* vel *qualitatem in munditie omnium membrorum:* vel *actiones in respirando, ridendo, edendo, bibendo, spuendo, nares emungendo, &c. De quibus specialiter* Casæ Galateus, Ste: Guatzus in dissert: Polit: Alsted: Eth: 3. c. 25. Althusius in doctr: civ: *aliiq; videantur.* Quà rationem *ipsius comitatis, Comitas adjunctam habeat facilitatem, suavitatem, & benevolentiam.* Facilitatem, *ut facilè admittamus & invisamus alios, ubi opus & utile est. Vbi non opus, gravitate temperetur facilitas: secus facilè in levitatem degenerat, & Nimia familiaritas parit contemptum: Nulli te facias nimis sodalem, monet Poëta.* Svavitatem, *ut nulli molesti simus, omnibus, quantum licet, benefici, juvando consilio & operâ: æquabiles, & aliorum infirmitates humaniter ferendo, neminem ridendo, aut insectando, hoc n. odium, contentionem, & similis insectationis periculum parit: quandoq; mansveti, & iram temperatè frænando, ut cum contentioso ita agamus, ut prudentia locum det temeritati.* Confer Prov: 15. v. 1. In corrigendo *comitas sit prudens, amica, & privata.* Prudens, *ut subjectum corrigens & objectum corrigendum competenter se habeant. Corrigens sit justæ authoritatis, & vitio, quod corrigit, careat: secus audiet:* Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum? Juven. sat. 2. *Corrigendus sit nobis notus, aut subjectus.* Amica, *ut morositas caveatur, & mitigatio adjiciatur, quâ vel alios etiam culpamus,*

pamus, vel nos ipsos non omnis defectus expertes asserimus. Privata, ne in publico vitia opprobremus, hoc n. crabrones excitare solet. Publicè lauda, privatim argue. V. Sirac: 31. v. 41. 42. *Adjunctam etiam Comitas habeat Benevolentiam, ut eam verbis & rebus attestemur. Verbis, ut humanè salutemus & resalutemus. Rebus, ut capitis apertione, loci cessione, osculatione, ubi hæc usitata, ut apud Medos & Anglos.* Vid. Pol. Virgil. l. 4. d. inv. rer. c.13. *aut simili ritu nos humanos exhibeamus. Exhibetur a. humanitas quà personam vel superiori, & huic cedendum, auscultandum, obtemperandum: vel pari, & huic consentiendum, & ceremoniæ ejus ex urbanitate quadam magis, quàm debito interpretandæ: vel inferiori, huic modestè persvadendum, & benevolentia gravitate mista exhibenda. Cogitandum illud Ciceronis: Quantò superiores sumus, tantò submissiùs nos geramus.* V. d.6. t.24. *Sic Alexander M. svavissimus in conversatione erat.* Plut. in Alex. *Parmenionem rursus increpare non sustinebat.* Curt. l.3. c. 12. *Sic Willigisus primus Moguntinus Archiepiscopus patre rhedario ortus rotas undiq; appingi jussit cum inscriptione: Willigis, Willigis, recole, unde veneris: ut pristini status admoneretur. Similia egerunt Agathocles Siciliæ, Pipinus Galliæ, Lescus II. & Pyastus Poloniæ Reges, & Primislaus III. Bohemiæ Dux.* V. Camerer. C. 2. c. 54. *Benè* Epictetus *de moderatione*: In conversatione majori cedendum, minori modestè persvadendum, æquali est assentiendum.

9. *Ita* definitio *comitatis, ex eâ objectum & officium, vel versandi circa objectum ratio: sequitur* subjectum. *Hoc* vel *inhæsionis & mediatum, quod voluntas humana moraliter instruenda, & appetitus sensitivus, quà informationis moralis capax,* d: 5. t. 16. vel *denominationis & ultimatum, hoc est compositum s. homo comis, primarium mas, secundarium fœmi-*

fœmina: & inter mares inprimis litteratus, juxta illud: Quò quis doctior, eò humanior, & quò indoctior, eò impudentior. Interdum, qui libris sunt addictiores & meditabundi, austeri & inhumani videntur: sed id per accidens & in speciem est, non per se & in veritatem. Cum altiùs cogitatis mens tenetur defixa, sensus externi coeteraq́; exteriora animæ instrumenta magis ad internas operationes revocantur, & sic in officio quà exteriora exequendo minùs sunt parata. Vnde meditabundus in ipsis meditatis compellatus aut non satis admittit compellantem, aut non satis intelligit. Vnde minùs humanus existimatur. Et valeat hic illud: Intùs existens prohibet alienum. Sed discussis meditatis, & mente ad exteriora revertente pandere se sensus & externa organa iterùm incipiunt: & humaniùs omnes compellantes admittuntur, & tractantur. Sic Chrysippus speculationib. Dialecticis ita defixus sedit, ut cibi & potus oblivisceretur, nisi ancilla bolos ori ingesisset. Hinc Dialecticâ ejus & Deos usuros dictum, si quâ uti voluissent. Erasm. 7. apo. in Chr. §. 1. *De Bernhardo narratur, quòd oleum biberit pro vino, cum meditatis totus inhæreret.* Luther. in c. 27. Gen. v. 23. *V. &* Co: à Lap: in Apoc. 2. v. 17. *Interdū Prophetæ & Apostoli nec salutare sunt jussi nec resalutare quenquā.* 2. Reg. 4. v. 29. Luc. 10. v. 4. *Sed nō in rusticitatem id interpretandū: sed celeritatē expediundi itineris, ne ullâ re moram sibi interponi paterentur. Judæi n. celeritatē rei expediundæ notantes, etiā salutationes nō curandas adjicere solēt. Secus jussi Apostoli salutare.* Matt: 10. v. 12. Luc. 10. v. 5. *Ipsi salutaverunt.* Rom. 16. v. 3. seq: *alios id facere jusserunt.* c. l. v. 16. *Ex adverso plerumq́; inhumaniores sunt indocti, quia, quod litteris deest, torvitate se compensaturos sperant: & melancholici, & atrobilarij ac cholerici, quia spiritus fuscos, impuros, crassos & nubilosos in cerebro habent, qui similia cogitata movēt: & ut co-*

gitata

gitata sunt, ita mores esse solent. Interdum & phantasiam vehementer corruptam habent, ut solitudinem eligant, monstrosa sibi fingant, & totam cerebri constitutionem mirificè confundant, ut alibi dicitur.

10. *Ita &* subjectum *Comitatis: sequitur* Divisio. *Ex statibus, in quibus reperitur,* vel *Ecclesiastica,* vel *Politica,* vel *Oeconomica dici potest.* Ecclesiastica, *quæ in familiaritate Ecclesiasticâ exercetur. Vt inter Professores, Concionatores, Scholarum Collegas. Generalia hujus conversationis ex Ethicis promenda: specialia ex scriptoribus rei Ecclesiasticæ. De quo* Amesium l. 5. Cas. Consc. c. 24. D. Gerhard: d. min. Eccl. & D. Balduinum in instit: Ministr. c. 24. 25. *aliosq; videas:* Politica, *quæ in conversatione politicâ exercetur. Vt in Magistratu, ubi comitas peculiariter dicitur popularitas, quæ in Tito & Regib. quibusdam Persarum excelluit, cujus exempla* Zvingerus vol. 12. l. 1. *habet: Subditis, ubi vel negotialis est, & commercijs adhibetur: vel hospitalis & in excipiendis tractandisq; peregrinis conspicitur, de quâ d. 6. t. 10. actum.* Oeconomica, *quæ in societate domesticâ exercetur, ut inter parentes & liberos, fratres & sorores, heros & servos, &c. Exempla Zving: c. l. habet. Omnis species comitatis etiam cum hæretico, Judæo, pagano, infideli, exerceri potest, ut Abrahæ.* Gen. 14. *Isaaci,* Gen. 26. *Jacobi,* Gen. 29. *Christi,* Luc. 7. *exempla, & dictum Pauli* 1. Cor. 7. v. 12. 13. *aliaq; uberiùs docent.*

11. *Ita* absolutè *comitas tractata:* Respectivè *cum oppositis suis spectetur. Ea* vel *apparentia,* vel *vera.* Apparens *com: oppositum est gravitas morum, virtus moralis decorum in morib. externis honestatis gratiâ servare faciens. De ejus officijs, requisitis, & oppositis* Alstedium. Eth. 1. c. 19. *vide.* Vera *opposita sunt excessus & defectus.* Excessus *& nimia comitas est* vel ἀρέσκεια *& blanditia,* vel κολακεία *& adulatio,*

 vel

vel nimia submissio, nec ejus, quod nos decet, receptio, de quo d. 6. t. 24. *vide.* Blanditia *interdum sumitur pro vitio nimia vel aliena alicui tribuente, sic species mendacitatis est, & veracitati opposita: Interdum pro vitio nimis ad alterius gratiam se accommodante, ita nimiæ comitas & excessivum ejus oppositum est.* *Hæc* vel *in Magistratu & superioribus est, & nimia popularitas dicitur, vitium authoritatem Magistratus vehementer proculcans, cujus exempla* Zvinger. c. l. habet: vel *in inferioribus, & blanditia ac assentatio vocatur, Cum solo placendi studio nimia comitas adhibetur. Ingens in mulierib. vitium est, & quod pluribus peccatis januam aperit.* V. Camer. C. 2. c. 34. *In gynecæo Reginæ Galliæ earum plures fuerunt.* Eremund. p. 18. hist: Gall: Adulatio est, *cum lucri & utilitatis causâ nimium alteri accommodatur. Hoc* vel *manifestò fit, & si gulæ gratiâ fiat, parasitum hominem vocari facit:* vel *occultè, cum honoris amorisvè prætextu nimia gratia captatur. Ex signis, quibus se prodit,* vel *verbalis esse potest, cum verbis exeritur, ut cum Cleo Alexandro assentatur.* Curt. l. 8. c. 5. vel *realis, quæ factis & gestibus. Vt cum Persæ eundem ut DEum humi prostrati venerantur.* Curt. c. l. *De utraq; multa differentem vide* Drexelium in Phaeton: c. 1. 2. 3. *Perpetuum Regum malum est,* quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis, evertit. Curt. c. l. *Exempla* Zvinger. c. l. *habet.* Defectus *est, cum nulla aut insufficiens in dicendo a. agendo adhibetur comitas. Dicitur morositas, inhumanitas, rusticitas, severitas, torvitas, vultuositas, asperitas. Cum nec admittitur facilè aliquis, nec benignè cum alio conversamur. Sic Timon Atheniensis misanthropus erat, omnes fugiens, unum Alcibiadem admittens, quòd multorum malorum Causam Atheniensib. futurum prævideret.* Zving. c. l. l. 3. *Vbi plura exempla.*

12. *Fuit*

12. *Fuit Virtus dirigens conversationem* seriam: *Sequitur dirigens* jocosam, *quæ est* Vrbanitas. *Ejus vox interdum studium vitæ urbanæ notat.* Cicero 7. fam. ep. 6. *Tu modò desideria Vrbis & urbanitatis depone: Interdum studium jocandi & lepidè loquendi. Sic* vel *potentialiter*, vel *actualiter*, vel *habitualiter sumi potest, ut comitas*, t. 3. *Grammaticè dicitur ab urbe, quòd in urbibus & oppidis potissimùm exerceatur. Dicitur & jocositas, lepiditas, venustas côcinnitas, festivitas, argutia, salsitas. Comicis interdum scurrilitas, Et scurra pro Vrbano.* Plaut. Most. a. 1. s. 1. *Vrbanus scurra delitiæ populi.* Conf. & Poen a. 3. s. 2. Epid: a. 1. s. 1. *Græcis* ἐυτραπέλεια & ευτροπία, *q. morum rotatio & flexilitas. Sed interdum hæc vox scurrilitatem notat, ob jocorum abusum.* Ephes. 5. v. 4. *unde turpitudini & stultiloquio jungitur. Germ.* Höffligkeit/ schertzhafftigkeit/ *&c. dicitur.*

13. Realiter *in definitione, objecto, officio, & oppositis spectari poterit. Definiri potest* virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ circa jocos & ludicra in conversatione servare faciens, ut decorum servetur, offensio vitetur.

14. *Ex* genere *dicitur virtus moralis directa.* V. d. 3. t. 17. *Ex differentiâ mediocritatem prudentiæ circa jocos & ludicra servare faciens, dicitur. Mediocritatem prudentiæ servare facere quid sit, ex* d. 3. t. 8 14. & d. 5. t. 6. *patet. Ex officio urbanitatis id sumptum, quòd medium prudentiæ in jocis & ludicris servare doceat. Servabit ita medium urbanitas, ut joca partim prudenter proferre, partim acceptare doceat.* In proferendo *joci sint jucundi, liciti, utiles, convenientes & dicentibus, & audientibus, apti circumstantiis locorum & temporum.* Jucundi, *ut voluptate aliquâ perfundant audientes. Inde n. jocus q. jocundus dictus: & sales nomi-*

minati, quòd sale scientiæ velut sint conditi, & salem Mercurij, non Momi, habere debeant. Aliàs joca acria, dentata, mordacia, aculeata, noxia sunt: pungunt enim audientes, non delectant: & interdum acrem sui memoriam relinquunt, dicentiq́ obsunt. Sic Fusio apud Tiberium, Tacit. 5. ann. c. 1. *Vestino Consuli apud Neronem,* Id. l. 15. an. c. 10. *Petro cuidam Dano ap. Vladislaum II. Poloniæ Regem.* Dresser. mill. 6. p. 614. *Et alij scurrili jocatori ap. Johan. Basilidem Moschum, quem cultro mensario crudeliter in collo transfixit, ut continuò moreretur.* Guagnin. descr. Moscov. c. 5. p. 95. Liciti, *ut ex materiâ & argumento licito desumantur. Hinc non facilè Christianus jocandi materiam ex scripturæ verbis desumet, quæ illi Sacrosancta esse debet, nisi vel ipse loci sensus salis aliquid in se habeat, ut* Joh. 3. v. 10. Job. 32. v. 18. 19. *seq: vel Proverbium sapiat, ut* 1. Reg. 20. v. 11. Ezech. 16. v. 44. 1. Cor. 8. v. 1. *Nec Reges, Principes, Magistratus, in materiam jocorum trahendi. Illis enim competit observantia, non imminutio.* Utiles, *ut audientes erudiant, & quà intellectum, quem cognitione & a..iori memoriâ perfundant: & quà voluntatem, cujus appetitum ad virtutem excitent, & sic moraliter informent: & quà membra exteriora, ut lingua & gestus comptè & decorè informentur. Unde lusus scenici, Comœdiæ & Tragœdiæ de decoro argumento, temporeloco q́ convenienti, & modo competente habitæ, non omninò improbari possunt, si lascivia, petulantia, levitas, & obscoenitas absint, secùs ac rigidiores quidam Censores judicare solent, qui penitùs rejiciunt.* Amesius l. 5. cas. Consc. c. 39. q. 7. Danæ- l. 2. Eth. Chri. c. 14. p. 221. *Quibus rectiùs mitiores alij indifferen...eas, & sic quandoq́ licitas judicant, quo de* D. Meisn. d. 12. adiap. ..34. & p. 1. P. S. s. 2. c. 4. q. 1. D. Brochm. L. C. d. lege. c. 12. s. 2. q. 6. Alsted. Eth. 1. c. 23. Diest. p. 1. meth. Theol. c. 9.

alijq́

aliĳq; legantur. Idem de choreis licitis & tempestivis habendum. V. d. 5. t. 13. *Comœdiæ leves & illicitæ non sunt admittendæ. Sic Lacedæmoniĳ tragœdias & Comœdias non admittebant, ut nec seriò nec joco quidquam legibus repugnans audirent.* Erasm. l. 2. apop. §. 28. Convenientes *& dicentibus, ut eorum statum deceant, alia n. competunt Theologo, alia militi: alia puero, alia seni: alia Christiano, alia infideli: aliter loquendum cum superiore, aliter cum æquali: & audientibus, ne salsè eos notent, & bilem in nasum conciant.* Apti circumstantiĳs, *& locorum, ne locis alienis fiant, ut in senatu, curiâ, templo, scholâ, & ubi res seria poscit, non jocosa: & temporum, ut prudenter & inchoentur, & continuentur, & finiantur. Peccavit hic Henricus Guisius, qui licentissimè de quibusvis quovis loco & tempore jocari solitus, novissimũ etiam periculum jocando eludens in nassam incidit, quam cavere potuisset, si intẽpestivis jocis abstinuisset. Vt* Sleida. contin: *habet.* In accipiendo *vrbanitas dictabit jocos aliorum benignè suscipere, humaniter tolerare, & jocosè dicta non in serium explicare. Juxta illud* Comici: *Si quid per jocum dixi, nolito in serium convertere.* Plau. Poen. a. 5. s. 5.

15. *Ex* objecto *dicitur, quòd medium servet circa jocos & ludicra. Objectum vrbanitatis vel est internum, appetitus jocandi & ludendi: vel externum, quod vel verbale est, & jocus dicitur, vel reale, & lusus.* Joci *sunt verba faceta ad jucunditatem composita.* Lusus *sunt gestus & acta ad eandem conformata. Horum attendenda & necessitas in vitâ humanâ, in quâ datur fatigatio, & consequenter concedenda relaxatio, quæ jocis & ludicris fit: Cum fatigatio sine relaxatione totalis fit consumptio, & arcus semper intensus rumpatur: Et vtilitas, quæ & Spirituum refectione, & consequenter corporis ac animi refocillatione, & gratiæ ac amicitiæ sæpiùs conciliatione*

perspicitur. Quidam *jocis sunt iniquiores, quasi gravitatem Christianam parùm decentib. Vt ex Veteribus* Hieronymus, Socrates, Euripides *ap.* D. Baldu. in c. 5. Eph. q. 4. &c. 4. Coloss. q. 3. *Ex Neotericis* Photiniani. *Vt* Smalcius d. diu. Chri. c. 5. & con. D. Frantz. d. 7. t. 131. 132. Catech. Racov. Germ. p. 199. *aliiq;. De scurrilibus jocis id verum. De honestis jucundisq; ipsa scriptura in contrarium est.* V. t. 14. *Quæ contrà hic moveri solent*, ap. Timplerum l. 3. Eth. c. 6. q. 7. Alsted. c. 18. Eth. §. 1. *aliosq; discussa vide. Et Jucunditas*, de quâ th: 14. *Ex fine dicitur, ut decorum servetur & offensio vitetur. Finis urbanitatis proximus est, decorum in sermone & facto jucundo servare, & offensionem alterius vitare verbo a. facto injucundo. Exempla urbanorum ap.* Zuinger. vol. 12. l. 4. Manlium Coll. p. 371. 431. seq. *vide Jocorum saliumq; aliquot exempla* Alstedius c. l. *Lycosthenes in apophi: tit. de jocosè dictis, habent. Vnde joca depromi possint, fusè disceptat* Cicero 2. d. Orat. §. 76.

16. Opposita *ejus sunt excessus & defectus.* Excessus *est scurrilitas, vitium morale mediocritatem in jocis ludicrisquè adhibendis excedens. Fit, cum nec honestatis, nec decoræ jucunditatis, nec circumstantiarum, loci, temporis, aut personarum habetur ratio. Estq;* vel *scurrilitas propriè dicta, quæ solius risus gratiâ exercetur, & ex ore, ut loquuntur, facit podicem: Germanis* schandnarren / schandgäste: *in aulis Magnatum Moriones vocantur. Eorum exempla* ap. Zuinger. c. l. l. 5. Melandrum T. 1. jocos: c. 71. 72. seq. *vide.* Vel *cavillatoria, quæ irridendi & cavillandi gratiâ fit, & interdum convitio propior est, quàm scurrilitati. De hac quædam ap:* Manlium c. l. p. 371. *seq. vide. In quo scurrilitas propriè consistat*, an in verbis, an rebus, *quæri hic solet? Propriè* in sensu & intenitone *dicentis aut agentis consistit. Quædam res suâ*

naturâ turpes non dicuntur obscoenè, Vt adulterari, fornicari, furari: aliæ suâ naturâ non turpes dicuntur obscoenè, ut liberos edolare. Sensus & intentio dicentium hic obscoenitatem pariunt. Veteres non admittebant in convivijs mulieres, quòd facilè verbum evolare posset, sensum obscoenitatis involvens, etsi animus dicentis fortè eam non intenderet. V. Muret. l. 7. V. L. c. 2. Defectus *est rusticitas & insulsitas, vitium morale, joca aut lusus nec prudenter usurpans, nec admittens. Sic Nobilis quidam uxorem malam ejecisse audiens,* ein Monkalb/ *meliorē vitulum infante esse insulsè respondit, quòd ille comedi posset.* Manlius c. l. p. 445. *Plura* Zuinge. c. l. l. 6. *habet.*

16. *Fuit Vrbanitas: Sequitur virtus ad candorem & sinceritatem vitam componens*, Veritas vel veracitas. *Veritas interdum notat æquitatem, ut in illo* Horat. l. 1. ep. 7. *Metiri se quemq́ suo modulo ac pede verum est, i. e. æquum: interdum veritatem entitativam ac transcendentalem, quomodo omne Ens est verum: Interdum cognitivam & intellectivam, quomodo conceptus conformatur cum re: interdum* signativam, *quomodo conformatur signum ad rem signatam. Ad hanc veritas Ethica referri potest, quæ requirit conformitatem signi significantis cum animo & intentione signum proferentis. Ita veracitas* vel *potentialiter*, vel *actualiter*, vel *habitualiter sumi potest, Vt de comitate* c. 3. *dictum. Vltimo modo hic sumitur. Et sic adhuc dupliciter.* 1. Specialiter *pro veritate judiciali, quâ in judicio vera sententia vel testimonium fertur ad servandam justitiam. Dicitur etiam veritas justitiæ, & ad illam certo modo pertinet: Vel pro veritate sermonis, quâ quis vera loquitur, hæc species aliqua veritatis moralis est.* 2. Generaliter, *pro veritate vitæ, cum quis per totam vitam talem se ostendit signis, qualis est vel esse vult factis. Sive illa signa sint verba, sive gestus, sive vestimenta aliqua,*

sive

sive quodcunque notificans mentem. Ita hic sumitur. Derivatur Grammaticè à vero & verace, quod à vere, aut ve, id est, vehementer, & res derivant, quòd non solo verborum sono, sed & rerum sensu constet. Dicitur & candor, sinceritas, integritas, simplicitas, in quâ tanquam in nutrice virtutum viam ad felicitatem statuerunt Latini, ut Scaliger ex. 299. s. 2. *loquitur: fides, fidelitas. Græcis* ἀλήθεια, *German.* Waarheit/ waarhafftigkeit/Redligkeit/Auffrichtigkeit.

18. *Res ipsa Veracitatis definitione, objecto, officiis, divisione & oppositis spectari potest.*

19. *Definitio sit:* Veracitas est virtus moralis directa, medium prudentiæ in promendo vero morali sincerè honestatis gratiâ servare faciens.

20. *Ex genere dicitur virtus moralis directa. Hæc ex* d. 3. t. 17. *patent. Differentia ex officio, objecto, & fine desumitur. Ex officio & objecto dicitur medium prudentiæ in promendo vero sincerè servare faciens. Verum morale est convenientia cordis & oris s. vitæ, cum signa nostra vel verbalia vel realia conveniunt cum rebus corde conceptis. Sic Aegyptii harmoniam hanc* cor humanum appenso gutture pingentes *adumbrabant. Veracitas medium prudentiæ servabit* partim *verum loquendo*, partim *agendo*, partim *silendo*, partim *dissimulando. Prudentiæ medium servabit, h. e. secundum prudentiæ rationem & dictamen determinatum, de hoc* V. d. 3. t. 8. *Prudentia a. pro personarum aut circumstantiarum ratione interdum loqui jubebit, a. gestum edere, a. silere, aut dissimulare & reiicere. Universa hæc ad moderamen prudentiæ virtuoso interdum eligi possunt. Cum verbis, quod sentitur, convenienter profertur, dicitur specialiter* Candor. *Hoc proferre* vel *est simplex, ut esse aut non esse simpliciter significetur:* vel *determinatum, aut gradu aliquo, cum gradus rei*

con-

conveniens etiam legitimè adhibetur, ut cùm tot vasa vini, tot modios frumenti, aut tantæ bonitatis & præstantiæ vinum vel frumentum esse dicitur: aut modo adstringente, qui vel vehemens asseveratio *esse potest, qualem in particulis profectò, certè, verè, ex vero, verissimè, esse dicunt; & quidam etiam in particulis Græcis*, amen, amen, *esse existimant, quas vehementem asseverationem, non præcisè veram juramenti rationem continere putant.* V. Alsted. Th. Cas. c. 15. th. 2. n. 4. Flacium p. 1: Clau. Voce Amen. Amesium l. 2. medul. c. 10. §. 28. & l. 4. Cas. Consc. c. 22. §. 16. Toletum in c. 3. Joh. n. 4. *aliosq́.* Thomas sec. 2. q. 89. a. 6. *inter juramenta per simplicem contestationem & execrationem distinguit. De hoc plura alibi: Vel* juramenti additio, *quod est vehemens veri confirmatio cum invocatione Dei ut testis facta. Hæc arctiùs ligat proferentem ob seriam & severam nominis divini attestationem, quod, ne in vanum sumatur, omni Christiano & sanâ ratione prædito maximè est curandum. Invocando enim in testem Deum, non solùm homini fit confirmatio: sed Deus ipse in testem & vindicem invocatur. Non ergò homini solùm, sed & DEO circa juramentum obligaris, & satisfacere teneris, si de licito & possibili objecto sit. Severa enim poena violatores nominis divini manet ex comminatione DEI,* Exod. 20. v. 7. Leu. 19. v. 12. *& quæ pluribus exemplis est confirmata, quæ in* prompt: exem: p. 1. p. 257. seq: *vide. Conf.* th. 26. *Ex antiquiorib. Pelagiani ap.* Hieronym. T. 4. p. 63. Anabaptistæ *in Colloq: Embdano, (quanquam in Frankenthal:* ar. 11. *moderatiùs sensêre,) Photinianorum quidam, ut* Smalc. d. div. Ch. p. 20. & d. 7. d. bon. op. c. Franz. f. 7. & d. 6. d. reb. civ. f. 7. Stegm. in proba. c. 1. p. 61. seq. Ostorodus c. 25. Instit. n. 2. *alijq́ juramentis Christianorum sunt iniquiores. Sed licita etiam Christianis esse*

se juramenta exempla Christi, Matth. 5. v. 18. *quod ad juramentum accedere ex* Hebr. 6. v. 14. *patet*, & *Pauli*, Rom. 9. v. 1. 2. Cor. 1. v. 23. Phil. 1. v. 8. *docent*, & *alibi plurib. disceptatur. Prolatum ergò cum juramento de possibili & licito objecto ligat jurantem in conscientiâ, etiamsi de re nobis privatim detrimentosâ sit, etiamsi vi dolove juramentum extortum. Vt si latroni pro redimendâ vitâ æris summam promiseris, & silentium vel restrictum de loco aut tempore facti, facie, vestitu, ~~moribus~~, conversatione, latronis, non indicandis, vel absolutum, de casu nec genere nec specie enuntiando, condixeris, in foro conscientiæ ad utrumq́ præstandum obligaris. Juramentum n. obligationem Deo, non soli latroni, factam in foro conscientiæ inducit, quam sine injuriâ Dei non possis vel implere, vel omittere, si de licito sit. Teneris ergo Deo ad præstandum, ob obligationem juratò factam. Sic Josua juramentum Gibeonitis datum servabat, etsi dolo extortum.* Jos. 9. v. 15. 16. *Et ob violatum illud Deus iram ostendit.* 2. Sam. 21. v. 1. *Reddes enim juramenta DEO tuo.* Lev. 19. v. 12. Matth. 5. v. 33. *Et nullâ ratione eum ludificari licet*, Gal. 6. v. 7. *Quidquid sit de jure latronis, quod in tali casu habeat vel non habeat: Quidquid de foro exteriori & Politico, ubi nec latro taliter obligare posse hominem dicitur, ut qui vi metuq́ extorquet: nec viator illi obligatus esse asseritur, ut violentiâ adactus: nec actio latroni in viatorem de poscendo ære in foro conceditur, ut qui ipso facto infamis & morti adjudicandus est, quæ omnia in foro soli procedere possunt. Sed aliud est jus poli, aliud soli. Politia non vult firmata latrocinia, nec per se, nec per accidens: sed penitùs evulsa cupit. Vnde nec latroni actionem concedit, nec tibi obligationem promissi in suo foro addicit. Sed &* non judicare potest de tuâ conscientia

ſcientiâ: *Sed privatam hanc tibi curam relinquit, velisnè præſtare jurata, an ſecus? In foro conſcientiæ ſervare teneberis, & ſervando nec per ſe colludis latroni, nec confirmas latrocinia. Sed facis aliquid, unde ſceleſtus homo rapit occaſionem per accidens ultrà latrocinandi. Non per tuum factũ, velut per ſe: Non n. tu hoc intendis, ex quo maximum in actu morali momentum ſumitur*, V. d. 2. t. 14. 15. *nam vitam ſervare cogitas: ſed per aliud, indurati cordis ſui malitiam. Sic Deus indulgendo Pharaoni nec colludebat impietati Pharaonis, nec eam confirmabat; non n. horum aliquid intendebat, nam convertere illum tolerantiâ iſtâ volebat: ſed agebat aliquid, unde homo per ſeſe durus & ſceleſtus occaſionẽ rapiebat ultrà ſe indurandi. Simile quid in hoc caſu eſt, etſi in nonnullis ingens ſit diverſitas, ut alibi diſputatur. Sic qui contributiones rapaci militi cogitur ſolvere, non confirmat per ſe injuſtam rapacitatem militis, ſed facit aliquid, unde furia plus extorquendi occaſionem rapit per accidens, citra tuam culpam aut intentionem. Plura de hoc caſu, intricato aliàs, ex Noſtris ap.* D. Thummium d. juram. p. 99. 100. ſeq. D. Balduin l. 2. Caſ. conſ. c. 9. q. 12. D. Meiſner: d. ſum. bon. c. 3. q. 5. n. 5. D. Gerhardum d. lege. §. 121. D. Brochmand. L. C. d. leg. c. 9. q. 5. Setſerum l. 1. d. juram. c. 20. Hunnium T. 1. in Treutl. d. 6. q. 45. 46. Rauchbarum p. 2. qu. Jur. q. 4. *ex Reformatis ap:* Perkinſum anat. Conſc. d. juram: q. 3. Rivetum in Pſal. 24. v. 4. Scharpium T. 1. L. C. d. lege. p. 330. Ameſium c. l. Alſtedium c. l. & c. 12. t. 1 Martyrem clas. 2. L. C. loc. 13. n. 21. *ex Pontificÿs ap.* Valentiam T. 3. d. 6. q. 7. p. 4. Covaruviam T. 1. V. R. d. matrim. p. 2. §. 5. n. 2. Leſſium l. 2. d. juſt. & jur. c. 42. dub. 4. &. 6. Bodinum l. 1. d. Rep. c. 1. *alioſq; videantur.* Bodinus, Setſerus, Rauchbarus, & Hunnius *ad ne-*

negantem inclinant, quòd latroni ut latroni dare sit res in se illicita: Et propter vim ac metum dare sit contra bonos mores: & silentium condicere in latrocinio sit fores portasq; latrociniis aperire, & non indicando Magistratui viam justitiæ publicæ impedire: Et juram: coactum contractum constituere nequeat, quare nec servandum sit. Alij *juramentum de dandâ pecuniâ servandum ajunt, non illud de silentio præstando. Vt* D. Balduinus, Meisnerus, Gerhardus, Scharpius c.l. *Alij utrumquè servandum putant, ut* D. Thummius c. l. p. 104. *Quid de his habendum, partim ex discursu patebit, partim apud* D. Tummiũ, Rivetum, Covvarruviam, Valentiam & Lessium *videri potest. Silentium promissum, quod sine damno Conscientiæ servari potest, est servandum.* Sirac. 19. v. 7. 8. 9. *Hoc tale esse per discursum dici poterit. Plura aliàs de hoc. De contractu coacto aliquid ex* d. 2. t. 18. *patet. Simile in juramento hosti aut hæretico dato procedit, quod omninò in foro conscientiæ ligat, si de licito & possibili sit.* V. D. Gerhard. d. Mag. Polit. §. 209. D. Meisner. p. 3. P. S. f. 1. c. 7. q. 2. *De objecto illicito valet illud* Euripidis: *Linguâ juravi, mentem injuratam gero. Et illud* Isiodori: *In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum: Impia est promissio, quæ scelere impletur. Vt habet* Jus Canon. cau. 22. q. 4. c. In malis. *Sic scriptura impia vota rescindere jubet.* Lev. 5. v. 4. 5. *Ita Nicomachus negat se in parricidio fidem dedisse.* Curt. l. 6. c. 7. *Et alius, cum illicitè jurâsset, Nesciebam inquit, hoc juramentum alio & majore juramento indigere. Ita David rescidit Juramentum temerarium de occidendo Nabale & familiâ.* 1. Sam. 25. v. 22. *Agesilaus injustum dixisse se, non promisisse, dicebat.* Erasm. l. 1. apop. in Ages. §. 6. *Et malè Herodes inconsideratum juram: implevit.* Matt. 14 v. 7. *Vt impium est, malè jurare; Sic pium, malè juramentum non servare, ait* Brentius.

21.

21. Agendo, *cum factis, gestibus, aut ritibus aliquid est proferendum. Nam & actus signa conceptus nostri mentalis esse possunt. Sic annuendo, abnuendo, caput motitando, loetitiam vel torvitatem præferendo, varia indicare possumus. Veracitas facit, ut & isti actus menti nostræ sint conformes, nec aliud extùs præ nobis feramus, aliud corde recondamus. De* simulatione *hic quæri solet*, an inter licita numeranda, an illicita? *Breviter de illâ hic nota:* 1. Simulatio *in verbis semper est illicita, est n. mendacium; & aliud profers, aliud sentis: Verba autem ad unum in contextu sermonis significandum sunt determinata, nisi fortè sit jocus ex ambiguo: In rebus & factis interdum est* illicita, *cum mendacio juncta, aut analoga est, aut ratione finis & modi pugnat cum religione, justitiâ, caritate: sic enim hypocrisin resipit, quæ mendacio vicina est. Sic si simules amicum, & fel in corde geras. Vt Joab erga Amasam.* 2. Sam. 20. v. 9. 10. *Sic cum quis vestem gerit, quæ ad professionem falsæ fidei est instituta, nec tamen animo illam fidem profitetur: interdum* licita, *cum citra mendacium aut hypocrisin consistit, & fictio qualiscunque est. Facta n. sæpè sunt indifferentia ad hoc vel illud significandum, nec distinctè & ex naturâ sui ita ad significandum sunt determinata, ac verba: & â nobis aliò intendi possunt, ac quorsum ab altero assumuntur. Huc pertinent doli & strategemata bellica, ubi alia simulantur, alia intenduntur. Sic Paulus Consul aliâ minatus, aliâ irrupit in Macedoniam.* Florus l. 2. c. 12. *Aristippus milites cum asinis frumentariis Tegeam velut mercatores misit, & Vrbem occupavit.* Frontin. l. 3. c. 2. *Plura* ap. Zving. vol. 5. l. 3. *vide.* 2. Falsam fidem *nullo modo simulare licet, nec signa ad ipsam sectam profitendam instituta usurpare. Tale n. signum non ampliùs est indifferens, sed ad profitendum falsam sectam determinatum. Sic*

Mauri vestem imagine Mahometis & Lunæ insignitã ad cultum suæ fidei institutam habere dicuntur. Sic Judæi Romæ flavum pileum gestare coguntur. Hunc nullus Christianus licitè usurpare potest. Sic Jehu simulabat fidem Baaliticam. 2.Reg. 10.v.19. *Sed hoc nusquam scriptura probat, etsi excisionem Baalitarum & Achabitarum probet.* v.30. *Sic Eleasar nolebat simulare esum carnis suillæ, etsi licita caro esset, quia iste esus in opprobrium legis divinæ erat institutus.* 2.Macc. 6.v. 21.*seq.* 3. Nequit *Christianus licitè in scenâ simulare repræsentationes vitiorum aut vitiosorum, ut scurrarum, Lenonum, meretricum, &c. nam cùm impuritas inter Christianos ne nominari quidẽ debeat, nisi cũ summâ execratione,* Ephes. 5.v.3. *minùs repræsentatione gestuum, vestium, rituũ, ludorum, simulari, & velut patrari poterit.* 4. Ritus *suâ naturâ indifferens pro circumstantiarum ratione, aut utilitatis alicujus gratiâ licitè simulari potest. Sic David insaniam coram Achis simulabat, ut effugeret.* 1. Sam.21. v.13. *& negotium festinè expediendum.* v.2. *Deus excisionem Isaaci præ se ferebat, ut probaret constantiam Abrahami.* Gen.22.v.2. *Joseph severitatem præ se erga fratres ferebat, cum affectu interno compateretur, ut poenitentiam malè actorum eliceret.* Gen.42.v.9.10.23.24. *Christus severitatem erga Cananæam.* Matt.15.v.24.26. *& abitum simulabat, ut majus sui desiderium in comitibus excitaret.* Luc.24.v.28. *Hæc n. omnia per se sunt indifferentia. Quidam Petri Judaicam vitam tantùm simulatam fuisse putant, ut & reprehensionem Pauli in Petro,* Gal. 2.v.11. *Unde* Cassianus, Origenes, Clemens, Erasmus, *aliiq; licere quandoq; simulare & mentiri collegerunt, veluti interdum helleboro purgare cerebrũ liceat. Sed utrumq; falsum esse rectiùs alij statuunt. De quo* Cor. à Lapide in c.2. Galatas v.11. & Lessium l.2. d. just. & ju.c.47. d.6. n.38.

n. 38. *Vide. Elcesaitæ in persecutionib: fidem dissimulare & negare licitum asseruerunt, nec crimen id habere putârunt, modò in corde quis fixus maneret, ap.* Lutzenburg. Cat. hær. *Falsum & hoc, & contra* Matth. 10. v. 32. An Jacobi simulatio *apud Isaacum se Esavum verbis factisq; simulantis,* Gen. 27. *licita fuerit, etiam hic quæri solet? Hoc apud Commentatores,* Lutherum, Pererium, Cor. à Lapide, Gesnerum, Pareum, Scharpium, *aliosq; vide. Plura de simulatione* ap. Chr. Matthiam l. 3. Eth. ex. 7. dis. 2. *legantur. Alibi fortè uberiùs hæc deducentur.*

22. Silendo, *cùm magis prudentia jubet tacere, quàm promere. Hic taciturnitas in veracitate requiritur, virtus ad tacendum, ubi opus est, affectum inclinans, ut non solùm vera promere sciamus, sed &* tegere & occulere. *Necessaria in rebus humanis virtus est, ubi quædam vulganda, quædam supprimenda sunt. Vnde ille Spartam profectus, quid mirî ibi vidisset, rogatus, senem taciturnum respondit. Et Archidamidas cuidam Hecatæum Rhetorem reprobanti, quòd in convivio siluisset, videris, respondit, nescire, quòd, qui dicendi sciat artem,* etiam dicendi nôrit oportunitatem. Erasm. 1. apop. p. 83. *Prudens bellator & cedendi artem callet, & pugnandi. Sic morum Philosophus & loquendi & tacendi oportunitatem novisse debet. Gnathæna meretrix Attica juvenem ex Hellesponto venientem, & in convivio loquaciorem allocuta, ex Hellesponto venisse dicis, ait, & præcipuam Civitatem ignoras,* Sigæum. *Silentij eum admonens, silere enim Græcis* σιγᾶν *est.* Erasm. 8. Apoph. §. 43. *Leæna meretrix Græca cum secretum prodere per cruciatus cogeretur, linguam præcidit & expuit, ne proderet illud.* Bocatius d. clar. mul. c. 48. *Quæ a. tacenda sunt, aut* ex toto *tacenda sunt, ut arcana, & peculiariter concredita. Sic Persæ arcana Regum mirâ fide celant,*

lant. Curt. l. 4. c. 6. *Aut* ex parte, *cum specialia & circumstantiæ non promuntur, genus tamen judicatur. Ita tacendum in specie latrocinium ajunt, si juratò promissum: In genere Magistratus moneri potest, vigilet, & publicarum viarum rationem habeat.* V. c. 20. *Sic partem veri dicere possumus, quando totum enunciare non licet. Sic Athanasius in fugâ deprehensus, modò se hac transivisse dixit, quod verum erat: etsi alteram partem non addebat, se eandem viam denuò repetiisse. Sic obstetrices Aegyptiæ partem veri dicebant de rigidâ Judæarum naturâ, partem de servatis infantibus reticebant.* Exod. 1. v. 19. *Abraham verum dicebat de Sarâ, esse sororem suam.* Gen. 20. v. 1. *sed simùl esse uxorem suam reticebat.* v. 12. *Samuel partem veri dicebat de sacrificio habendo.* 1. Sam. 16. v. 2. 5. *Alterum de ungendo in Regem Davide reticebat. Jeremias partem de colloquio Sedekiæ dicebat, partem reticebat.* Jerem. 38. v. 26. *Et David ad Achis de irruptionibus in partes Judææ conterminas.* 1. Sam. 27. v. 10. *etsi Achis de ipsâ Judæâ infestatâ intelligeret. Paulus partem veri dicebat, se de resurrectione mortuorum accusari.* Act. 23. v. 6. *Vt patet ex* c. 24. v. 15. 21. c. 26. v. 8. *Alterum de Christo reticebat. Exempla taciturnitatis apud* Zvinger. Vol. 12. l. 1. *vide.* Opposita *ejus sunt partim excessus,* garrulitas, *s. loquacitas, quà omnia efferuntur, nihil reticetur. Quo vitio mulieres & proditores laborant, ubi exempla* Zuingerus c. l. v. 12. l. 2. *habet: Et Heraclitus vulgus non differre à fractis urceis dixit, quòd nihil commissorum continere queat, sed diffluat nugando.* V. Drexel. c. 49. Phaët. *Proditorum exempla* ap. D. Gerhardum T. 6. d. Magistr. §. 422. *vide* · *partim defectus,* nimia taciturnitas, *cum ne tùm aliquid promitur, cum necessitas & honestas jubet. Ejus exempla* Zving. c. l. l. 3. *promit. Hic proverbium obtinet:* Amyclas silentium perdidit. *De silentio*

lentio intempestivo & noxio. Cum hostis ad portas esset, ejusq; adventum propter interdictum nemo indicare auderet, civitas ex improviso capta est. V. Erasmum in adag:

23. Dissimulando, *cùm prudentia jubet prudenter dissimulare veritatem, & quærentem de eâ potiùs rejicere, quàm informare. Est n. veracitas* officiosa & ingeniosa, *ut non cuilibet statim expressè respondeat, sed & quandoq; rejiciat. Ita si incompetenter quis apud Papistas quærat, an sis hæreticus? prudenter dici potest, Quid hoc ad te? Quis te hujus inquisitorem constituit? Ubi quærendi officium nactus fueris, sortieris responsum. &c. Sed hic prudenter distingue* 1. inter dissimulare *responsum, & mentiri. Dissimulare fieri potest rejiciendo quærentem, & non ad quæsitum respondendo. Hoc licitum est, & hic valet, quod Jesuitæ in ore habent:* Quis me omnium debitorem fecit? *Præceptum n. affirmativum de dicendo vero non obligat ad semper; sed ut ratio circumstantiarum benè expensarum exigit. Sic furioso aut ebrioso rationem quæsiti reddere non tenemur; Sed ut ineptum quærentem rejicere possumus. Sic Consiliarius non tenetur curioso respondere, quid in Senatu decretum sit.* Mentiri *est, cum ad quæsitum respondetur, sed vel aliud sentitur, aliud dicitur: vel aliquod subintellectum reservatur, quod quærens intendere non potuit. Ut si dicas. non sum hæreticus: & subintelligas, scilicet ut tibi dicam. Non venio ex loco pestifero, scil. ut pestem ipse feram. Hoc illicitum est, & contra veracitatis officiositatem. Illa ingeniosa esse debet, & simul officiosa.* Non teneris cuivis ineptè quærenti respondere: Interim, si velis respondere, verè vi veracitatis respondere teneris, non falsò, *non æquivocè, aut cum reservato mentali, aut ad mentem quærentis alienè. Non is intendit, an venias ex loco pestilenti infectus, sed, an absolutè venias. Cum*

 reser-

reservato ergò ad talem quæstionem respondere, non venio sc. ut infectus, à mente quærentis alienè respondere, & directè falsum illius, quod mente condis, dicere est, quod omninò illicitum. Celare & dissimulare licet: mentiri & æquivocari nō licet. 2. Inter *interrogantem illicitum, qui vel injustus, vel temerarius esse potest, vel subdolus, aut alio modo se habens; huic respondere non teneris, sed reprobare & rejicere potes: & competentem, qui vel Magistratus est & superior, jus quærendi habens: vel par aut inferior, cujus interest scire id, quod quærit. Tali & respondere teneris, & verè ac sine dolo respondere, non eludere. De totâ hac re uberiùs vide* D. Meisner. p. 3. Ph. sob. s. 1. c. 7. q. 1. & 3. D. Thummium d. juram: p. 146. seq: D. Brochmand. L. C. d. lege. c. 9. q: 4. Amesium l. 5. d. Consc. c. 53. q: 3. Rivetum in Psal. 24. v. 4. Scharpium T. 1. L. C. d. leg. præc. 3. q. 5. Lansium Or. c. Hispan: *aliosq́. Ex ipsis* Pontificiis *æquivocandi artem reprobant Sotus, Azorius, Covvarruvias, alii,* V. Ames. c. l. §. 26.

24. *Hactenus* definitio, objectum, & officium *Veritatis: Sequitur* divisio. *Ita Veracitas* vel *verborum dici potest, & vocatur Candor:* vel *rerum & signorum realium, & dicitur fides. De his* t. 20. 21. *actum. Ex modo agendi* alia *nudè assertoria,* alia *juratoria dici potest, de quibus* t. 20. Alia *publica vel judicialis, cùm in judicio verum servatur judicando vel testando:* alia *privata & vitæ, cum in vitâ privatâ verum & dicitur & agitur. De hoc* t. 17. *monitum.*

25. Opposita *Veracitatis sunt excessus & defectus.* Excessus, *Cum nimiù rigidè verum promendum urgetur, nunquam silendum vel dissimulandum conceditur. Etiam cum recta ratio potiùs silere, quàm promere suadet.* V. t. 22. 23. *vel cum aliquid præter verum augetur, quod mendacium vocatur,*

catur, & Ethicè potiùs mendacitas aut fallacitas dicendum est. Mendacium vel *spectari potest materialiter, sic est* vel *apparentia speciei alicujus, cum res ipsa non sit, quomodo iridem non substantiam in nube, nec corpus, sed mendacium vocat Seneca* l. 1. na. qu. c. 6. vel *omnis assertio falsa, etiamsi a. ignores esse falsum & pro vero habeas, a. sine animo falsum proferendi & dolo enuncias. Vt cùm falsum repræsentatur, vel alios id dixisse dicitur, ut tamen non intendas quenquam fallere. Hoc potiùs falsitas, quàm mendacium vocatur:* Vel *formaliter, sic ut assertio falsi cogniti sit sub intentione falsum proferendi profecta. Hæc propriè fallacitas & mendacitas vocatur. Vnde distingvunt inter mendacium dicere, quod prius est, & mentiri, quod posterius, & propriè vitium morale Veracitati adversum, & in Ethicis considerandum est. Alterum singularum disciplinarum, quæ veritatem suarum notionum intendunt & proponunt, est proprium. Definirè potest mendacium Ethicum* vitium morale, falsas significationes signorum moralium cum intentione falsum asserendi proferens. *Falsa significatio est difformitas signi prolati & animi concipientis. Signum morale hic vel vox, vel gestus a. actus externus est.* Intentio falsum asserendi *est velut formale in mendacio, per quod præcisè in esse morali mendacitatis constituitur, cum moraliter ab electione & voluntate talis inconvenientia ad fallendum destinatur, etiamsi materialiter res aliqua prolata vera sit. Sic si quis credat, abstinendum esse à cibis in V. T. prohibitis, & alteri hoc ex intentione falsum asserendi persvadeat, falsum morale committet, etiamsi pro se id verum habeat. Quidam* intentionem fallendi *pro formali mendacii habent. Et frequenter omninò falsum testimonium comitatur. Interim & ille moraliter mendax est, qui falsum dicit* sub ratione falsi, *i. e. ut falsum*

asserere intendat, etsi alterum mendacio suo falli non posse certus sit, & sic intentionem fallendi illum probabiliter habere non possit. Ita qui ex ingenii vanitate falsa dicit, etsi non intendat fallere, moraliter mentitur.

26. *Ex* divisionib. *mendacium* aliud *jocosum dici solet, ut in fabulis, & commentis Poëticis:* aliud *officiosum, quale obstetricum Aegyptiacarum,* Exod. 1. *& mulieris Bahurimæ* 2. Sam. 17. v. 20. aliud *perniciosum, quod ex malitiâ & intentione falsa deiendi provenit. Quidam rejiciunt divisionē, alÿ retinent.* V. Brochm. L. C. d. leg. c. 14. q. 1. s. 2. Pareum in c. 27. Gen. v. 27. q. 5. *Observa. 1. non est divisio generis in species, q. mendacium jocosum & officiosum veri mendacÿ moralis sint species: nec totius in partes, q. veræ mendacÿ partes sint; sed vocis in significata, quod vox mendacÿ ita latè interdum sumatur, ut & jocosa dicta ac fabulas, & officiosas veri dissimulationes comprehendat.* 2. Verum *mendacium morale semper est illicitum, nunquam fieri potest licitum. Sed jocosum & officiosum, non sunt vera mendacia, sed alterum jocus & lusus est, alterum prudens veri dissimulatio, quæ indifferens. Solet & in* affirmativum *dividi, quando falsò affirmatur aliquid, ut cum nobis a. aliÿs tribuuntur ea, quæ non insunt, aut majora, quàm insunt: &* negativum, *cùm falsò negatur aliquid, quod adest. In* simplex, *cùm simplex assertio fallitur, &* duplicatum, *cùm insuper juramentum additur. Hoc perjurium dicitur. Huc pertinent omnes pejerantes, juramenta eludentes, ambiguè intelligentes, & similes. Ita Lysander pueros talis, viros juramentis fallendos dicebat. Et Cleomenes dierum pactus inducias noctu hostem adoriebatur, dierum, non noctium inducias se pactum esse causatus. Sed malè cessit factum.* V. Lycosth. apo. d. juram. *Ita Hattoni Episcopo Moguntino fides elusa malè cessit.* V. Chri. Matthi. c.

thi. c. l. dis. 2. *Plura perjuriorum exempla & poenas ap.* Zvinger. vol. 14. l. 5. & vol. 16. l. 2. *vide. Item in* verbale, *quod verbis exeritur, &* reale, *quod factis & gestibus. Huc pertinet illicita simulatio, cùm simulatur exteriùs, cujus contrarium est interiùs: Hoc sæpè eodem peccato compensatur, ut apologus de leone Medicum simulante & ad eqvum devorandum veniente docet, ubi eqvus spinam in calce habere simulans, cum leo inspicere eam vellet, quantâ potuit, vi calcem leoni impegit, & semianimi relicto leone aufugit. Et* dissimulatio, *quæ est mendacium in defectu, cum minus, quàm res est, dicitur, a. minore gradu, modove, quàm adest, simulatur. Hoc* vel *respicit nos ipsos, cum in nobis ipsis dissimulamus, quæ habemus, ne alijs inservire cogamur:* vel *alios à nobis, cùm in alijs id facimus. Hinc oritur detractio, obtrectatio, convitium, & calumnia, primogenita Diaboli filia, & calumniator primogenitus Diaboli filius. Diabolus n. primus inter DEum & homines calumniator. Ingens in fece mundi calumniantium farrago est, ubi furiæ alijs viam ad cœlum moliuntur præire, cum interdum Orci emissarij sint, & ficus super ficum, pyrus super pyrum hodiè consenescat, ut de Athenis olim Aristoteles.* Aelian. l. 3. Var. hist. *Exempla ap.* Zving. vol. II. l. 4. *vide. Epanetus mendaces omnium scelerum & injuriarum authores dicebat.* Erasm. l. 1. apop. p. 96. *Hoc in primum mendacium & calumniam Diaboli in paradiso non absurdè dicetur. Quidam negant in factis & simulatione esse mendacium, & tantùm in verbis agnoscunt, ut* Pareus c. l. q. 4. *Sed & in factis aliud simulari potest, aliud intendi. Est a. mendacium disconvenientia cordis & operis sub falsi intentione exercita,* t. 25. *Et in factis igitur mendacium agnoscendum.*

27. *Fuit* Veracitas: *Sequitur Virtus homiletica pacificam conversationem faciens,* Concordia. *Hæc sumitur* vel

propriè pro nomine proprio mulieris, quæ Concordia dicitur: vel *appellativè, pro effectu unionis inter diversos, sic aliquid fluens ex virtute diversorum est: Vel pro habitu consensum mentis, & animorum in bono ingenerante, sic hic sumitur. Dicitur & Concorditas ap. Pacuviū, consensus, pacificatio, unanimitas, tranquillitas. Græcis* φιλησυχία, *Germ.* **Einträchtigkeit / Einigkeit / Friedfertigkeit.** *Definitur* virtus homiletica, medium prudentiæ in vitâ tranquillè cum altero in conversatione ducendâ servare faciens. *Objectū ejus exterum est vita tranquillè ducenda. Vitæ nomine omnia in vitâ occurentia* agenda vel patienda *comprehenduntur.*

Officium est, mediū prudentiæ in vitâ tranquillâ servare. Servabit Concordia medium prudentiæ partim in suis, partim alienis. In suis, *ut illa habeat certa, & composita, ne ad aliena delabatur, sic enim facilè invidia, & post illam turbæ conciliantur: prudenter abscondita, ne nimiùm pateant: humiliter de se suisq; sentiat, offensas remittat, vindictam temperet, rixas non moveat, sed quantum potest, amoveat.* In alienis, *ne alios, cum quibus versandum, despiciat, sugillet, detrectet, calumnietur, irrideat. Aliorum nævos dissimulet, omnia in melius explicet, plura ex æquo bonoq; tractet, injurias remittat, & multa publicæ paci condonet. Potentiores, stultos, naturas malitiosas & serviles non irritabit, nullos inter se committet, simultates non fovebit, commissos, quantum fieri potest, reconciliabit. Cum hominib. pacem colet, cum vitijs bellum geret. Ita tutissimè cum alijs vivetur, & concordia servabitur. Necessaria est in humanis virtus pro fovendâ & promovendâ caritate, â quâ fluit: servandâ justitiâ, cujus impedimenta removet: procurandâ felicitate publicâ & privatâ: quæ facile unitis viribus curatur, solutis dissolvitur. Vid. pulcrè de ea* Plutarchum l. d. fratern. amore.

28. *Ex* divisionibus *pro ratione status concordia* vel *Ecclesiastica esse potest, quæ inter personas Ecclesiasticas servatur, ut ministros Ecclesiæ, Professores, Collegas:* vel *Politica, quæ inter Politicas, ut Magistratus, Consiliarios, officiarios, subditos:* vel *Oeconomica, quæ inter parentes, liberos, conjuges, heros, servos, &c. viget. Ita omnib. statibus necessaria ac utilissima est virtus Concordia. Exempla ejus* ap. Zvingerum vol. 4. l. 1. *vide.* Oppositum *ejus est* vel *excessus, indulgentia, nimiæ concordiæ studium, quando ultra modum & decorum omnib. indulgetur, ut concordia servetur, & ne vitijs quidem irascimur:* vel *defectus, discordia, contentiositas, rixositas, cum odijs, turbis, & simultatibus studetur, & omnia turbulentiâ complentur, ut factiosi, seditiosi, novatores, turbatores, & Martialia ingenia solent. Horum exempla ap.* Zvinger. c. l. vol. 12. l. 3. Apophtem. p. 2. erquick. p. 430. seq: *vide. Hæc etiam de virtutib. homileticis per theses disputata sunto.*